PETRI ANDREAE
CANONHERII
ACADEMICI SPENSIERATI

Philosophiæ, Medicinæ, àc sacræ Theologiæ Doctoris.

ORATIO

De Laudibus Litterarum habita Parmæ in æde Sanctæ Mariæ Stæchades.

III. NO: NOVEMBRIS.

1604.


AD

ILLVSTRISSIMVM ET REVER.

D HIERONYMVM

BERNERIVM

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.



ex legato




ill.mi Coccini

FLORENTIAE,


Apud Volcmar Timan Germanum. 1605.


Patrum non sine permissu.

55



HIERONYMO
BERNERIO,
CARDINALI AMPLISSIMO.
PETRVS ANDREAS CANONHERIVS
S.D.





FFERO tibi Illustrissime Cardinalis hoc munus perexiguum. Quin verò illud ipse, animumq; meum serena fronte sis complexurus nòn vereor, cùm scias illum duntaxàt verum sapientiæ sapientissimum esse dicendum, qui nō minorem alacritatem animi in rebus paruis ab obscuris, quàm in magnis à nobilibus viris accipiendis præseferat. Vale. Florentiæ V. Kal. Ianuarij. MDCV.



VEMADMODVM ij, qui tranquillè in terra vitam degebant, aliquo desiderio affecti perpulchram, ornatamq; nauim conscendunt, anchoris solutis plenissimis velis nauigare incipiunt, secundissimèq; cursum tenētes littora relinquunt, cùm deinceps mare, quod anteà quietum erat, ventorum vi agitari, atquè turbari intueantur, quocunquè oculorum aciem conuertant, fluctus, nimbos, turbines circumspiciant; tot procellis commoti iustam propemodùm causam habent timendi nè omnium pretiosarum mercium, atq; ipsius vitæ maximum, miserrimumque naufragium fiat. Sic ego P. A. qui in studijs honestarum disciplinarum quietè versabar, quadam cupiditate permotus in hunc sanctum, atquè augustum locum ad dicendum precipuè delectum veluti in fluctuantem nauim ascenderim, vbi nòn velis, nòn remis, sed lingua, & litteris eloquentissimi viri nauigare fœlicissimè consueuerunt, cùm iàm libros missos fecissem, tempore in tempestatem mutato, studio anteà placato, in medio tot grauissimorum virorum, tanquàm naui in vastissimo Oceano posito, & collocato; quocunquè me vertam, vndas oculorum vestrorū quodam quasi aestu efferuescentes, nùnc accedentes, nùnc recedentes inspicio, metu perturbatus famæ, honoris, gloriæ, ornamētorumqs omnium rotam perhorresco. Etenìm si Marius vir consularis, quendam armatissimum seruum, sibi violentas manus inferre volentem solummodò eminentibus oculis adeò perterrefecit, ùt ensem àd corpus confodiendum destinatum, hominem àd facinora perpetranda audacem cohibuerit. Quid mihi animi esse oportet, qui imparatus àd loquendum, sermo

ne

ne inornato, atq; inconcinno, oratione sollnaga, et inelegantil de horridis verbis non nitida, de ieiunis non plena, de peruugatis non noua, ad aures vestras obstrependas huc accessi; quæ cum inauditum sonitum audierint fortasse obsurdescent & veluti ensium mucrones illas ferient, et contrucidabunt. Et apud vos dico P. A. ad quos cum oculos meos conijcio, totidem Marios oculis mihi videor videre. Sed abeat iste timor, nō enim recte diceretur miles ille timere, qui visa hostili militum manu, cum fugam petere, vel subterfugere posset, tamen vel hostiū ignauia, vel sui fortitudine, vel aliqua alia re confisus, vel belli & mortis periculis assuetus in illam intrepide irrumpit, pugnamq; diu sustinendo quasi hostem terga dare abiecte cogit. A timore nemo me etiam liberaret, qui huius perquam ardui muneris, perdifficilisq; prouinciæ difficultate considerata, eam vitare potuissem; tamen non mea, sed altiori quadam fortuna comite, & duce suscepissem, vestra incredibili humanitate fretus, ventis aurium vestrarum nauiculæ debilis ingenij mei non deficientibus; portum tenebo; ad quem quidem omnes singularum sciētiarum merces, tribus potissimum de causis non comportabo. Prima est plurimarum rerum onus, quo si me onerarem, rerū maximarum, & præstantissimorum mole, atq; pondere oppressus succumberem, audaxq; temeritas esset mihi ea laudare, & perbreui spatio temporis, quæ nec Ciceronis elegantia, nec Demosthenis vis, nec Platonis copia, nec Isocratis iocunditas, nec Lelij lenitas, nec Aphricani grauitas suorum ingeniorum vi efferre laudibus satis possent; quæque non exiguis circumscriptæ finibus, sed latissime patentes immensum laborem, & tempus acutissimum ingenium, ardens studium, summamq; postulant exercitationem. Secunda ne fortasse vobis accideret,

quod

quod maxima siti laborantibus vsu venire solet, quibus cùm aqua in memoriam casu, vel consultò reuocetur, eamq; poscentibus modicam aquam quis exiberet, qua non magnus sitis ardor extingueretur, sed potiùs inflammaretur, & sitientes acriori siti exardescerent, vos etiàm singularum sciētiarum laus & iocunda recordatio animos vestros maximoperè caperet, qua sitim explere, & satiare plenè, et cumulàte concupisceretis, multa bibere cupidè expectantes, paruulo poculo apposito, & porrecto vehementiori siti proculdubio afficeremini; vel etiàm quod tertia est, insuauem, insipidumq́ schyphum vobis præberem in potione statim exclamaretis; vos maxima satietate esse defessos, fastidioq; multum defatigatos, & nauseæ molestia suscepta omnia stomachantes eijceretis. Quamobrèm ùt omnia quantum fieri possit euitemus, Zeusim excellentissimum pictorem imitabor, qui ùt pulcherrimam mulieris formam perbellè componeret, atq; effingeret, umq; plurimas formosissimas nudè, & quam maximè intentis oculis singularum pulchritudinem esset contemplatus, quequè pictura digna secum ipse diù multùmq; considerasset, à singulis præcipuas, èt excellentiores partes articulatim abstraxit, omnesq; ùt diuersis filis telam textores texunt contexisset, unam omnium aspectu elegantissimam copulauit, atq; effinxit, in qua earum mulierum, & perfectiori modo species, quæ priùs disperse fuerunt, in unam collecte atquè congeste mirum in modū cernebantur. Ego etiàm ètsi nòn tàm excellentèr, tamē quantùm uires meæ ferre poterint, à singulis scientijs peculiares laudes seuocabo, quod quæ uniuscuiusq; proprium est, commune faciens, tanquàm aliquod logicum uniuersale ab indiuiduis seuocatum vobis hodierna die representabo. Et quoniàm pictores ante aquā

aliquod

aliquod forment, figurent, vel animent, colores præparant, vel succo illitos, & dilutos, vel sanguine diffusos, & cui rei qualis color adhiberi debeat, aliquando cùm dubitent, deindè omnibus paratis, aptam membrornm fabricam, conformationem lineamentorum, miro quodam artificio aggrediuntur. Ego etiàm ùt præclarior aditus ad sciẽtias mihi pateat, quæstiunculam quãdam nempè vtrùm præstantius multarũ scientiarum mediocrem cognitionem habere, vel vnius esse peritissimum breuissimè enucleabo. Ferè omnibus ad Paulinũ scribentis Plinij, se malle multarum doctrinarũ excultũ, quàm unius doctissimum esse summoperè sententia placet. Quod si cui vestrum subdifficilis appareret, si in id, quod dicturi sumus mentem intendere paulisper voluerit, in communem opinionem facillimè traducetur. Nàm si rerum omnium quasi adumbratas quasdam intelligentias animo, àc mente homines principio concipiunt, & commune quoddã vinculum, èt cognatiouẽ scientiæ inter se strictìm contineant. Quid causæ est cùr semina nobis à natura insita, aspernari & refellere velimus, quæ complecti atq; augere maximè deberemus, non dissoluendo, nèc separandò quod parens omnium natura liberè coniunxit, & copulauit. Profectò insignem iniuriam accipere natura videtur, quæ cùm tot bona coagmentasset, & liberaliter, benignitateq; sua nobis largè, effuséq; donasset, tantam magnificentiam repudiamus. Non nè fasciculum ex diuersorum florum generibus, quàm ex vnius collectum, atq; cõflatum propter varietatem visu est iocundius, propter suauitatem odorum, qui è floribus afflantur odoratu est gratius, & Princeps in diuersas regiones, & latissimas prouincias dominari mallet, cùm à multorum populorũ dominatu, àc dictione potentia oriatur, & magis insupèr crescat, quàm

habere aliquam definitam regionem, quauis munitissimam quæ exiguis terminis septa claudatur. Non ne etiam homo b varijs scientijs institutus, & imbutus mirabilior, sapientior vno omnium consensu erit, & omnes in cognitione earum rerum, a quibus omnis sapientia, quàm in eis, à quibus exigua, prouenit versari enixè, & studiosè deberent. Si nihil est, ut inquit eloquentiæ flumen Marcus Tullius, per quod màgis Deo similes efficiamur, quàm per ipsum scire, Deus autèm presentia, præterita, atq; futura apertissimè cognoscat, omnibusq; rebus per potentiam, præsentiã, & essentiam semper adsit; Quis dubitare potest homines quanta plura cognita habuerint scientiarum omnium auctori ipsi diuino numini similiores fore. Quæ ex vno, vel duobus elementis conficiuntur, non mixta sed iuxtà se posita propriè nominamus; quæ ex pluribus generationes nuncupantur: homines, qui vna vel duabus scientijs instituuntur, non doctos, sed scientes propriè appellare possumus; Qui ex plurimis docti, atq; sapientis nomen sibi iure meritò vindicant. Ad hominis constructionem quædam præcedunt, & ex duabus, non ex vna essentialibus partibus, ab alijs tanquàm integrantibus & perficientibus compositum perfectè perficitur; Ad periti viri structuram, atq; cõstitutionem quædam scientiæ præcurrere deberent, deindè ex duabus essentialibus saltèm, à cæteris autèm hoc admirabile compositum pulcherrimè ornantibus, construi deberet, quo sic extructo, nihil admirabilius esse, vel inueniri posset. Quid enim per Deum immortalem accuratius, & quod màgis diuinitatem redoleat, in hominum mentibus esse posset, quàm eundem hominem habere lautam quandam, & splendidam suppellectilem optimorum verborũ, & lectissimarum sententiarum, & de vnaquaque nobili disciplina in con-

conuentu hominum, aptè, distinctè, ornatè, copiosè dicere. Preclara fortissimorum heroum gesta, elegantissimis carminibus cantare, homines delectare, omnes ad gloriæ cursum vehementèr inflammare. Egregij Principis laudes, facinorosi vituperia, actiones, consilia, fœlices, infœlicesq; exitus, vrbes direptas, prouincias captas, regna uastata, nationes subactas, agrorum populationem, belli cladem, victoriam, direptionem, pacem, concordiam, incendia, militum obedientiam Imperatorum scientiam, atq; peritiam egregiè recensere. De numero composito, & incomposito, armonico, & geometrico, de pari, & impari, desuperuacaneo, & diminuto, deq; eius speciebus, àc proprietatibus acutè pertractare. De uocum modulatione, concētu, & numero, compositione luculentè agere. De quantitate continua, punctis, lineis, superficiebus, corporibus, triangulis, quadrangulis, cubis, & reliquis id genus formis, & dimensionibus; rebusq; ab hac pendentibus, vt pictuis, architecturis, statuarijs, agrimensuris subtilitèr loqui. Posse dicendo tenere hominum cætus, allicere mentèm, opem ferre supplicibus, tueri innocentiam, improbitatem frangere, patriam ab hoste liberare, Senatus grauitatem, Principum maiestatem, populi impetum, militum ardorem, iudicum religionem Regum consilia oratione conuertere. Instrumentū habere àd omnes scientias addiscendas, ad omnes errores vitandos, ad ipsius veritatis occultæ cognitionem, ad rerum deniquè naturam, earumq; principia, causas, & accidētia peruestiganda. De rerum naturalium principijs, causis, elementis, natura, numero, causarum conuenientia, discrepantia, casu, fortuna, necessitate, motu, quiete, vacuo, loco, tempore, mutatione, alteratione, actione, passione, mixtione, generatione, corruptione, cometis, pluuia, grandine, niue, nube, cali-

 gine,

gine, pruina, fonte, fluuio, mare, vento, terremotu corruscatione perpetuitate motus et primi motoris diligenter, & exquisitè determinare. Motum cæli, figuram, polos, astrorum naturam, solis, & lunæ ecclipsim, cælestes influxus, signorum, costellationumq́; , reliquarumq́; stellarum complexiones; quænam signa sint calida, quæ frigida, quæ temperata, quæ masculina, quæ fæminina, ortus, obitusq́; Planetarum, progressus, status, regressus, coniunctiones, oppositiones, omniumquè superiorum corporum figuras, & imagines, perspicuè, & dilucidè speculari. Animam, eiusquè potentias, intellectum, voluntatem, memoriam, sensus, externos, internosquè omnes eius effectus plenissimè scire. timores pellere, temperatè viuere, pecuniæ cupiditatem, voluptatum libidinem, & cæterarum perturbationũ motus inhibere, animi defectibus summa cum diligentia mederi, vitiorumquè fibras expellere. Sanitatem tueri, conseruare, præseruare, morbos, morbi causas, grauia symptomata profligare, etatũ, regionum, temperaturas cognoscere, statum in cibo, potu, quiete, labore, somno, vigilia, aere, exercitatione constituere, omniaq́; illa non nescire, quæ Medicinæ præcepta tradunt, vsus, & experientia assiduè comprobarunt. Nocentes punire innocentes liberare suum cuiquè tribuere, omnibus ius dicere accuratè iudicare, placido sermone trahere iudices, leges interpretari, de honesto, bonoquè consulere, iniustitiã odisse. Remp. administrare, leges obseruare, tandẽ ad ipsa profundissimi Dei mysteria, summo studio, & singulari diligentia metaphisicum deuenire.

Veruntamen quamquàm omnibus scientiarum semina natura liberaliter infuderit, tamen vèl quiá aliquorum rei familiaris tenuitas, vèl imbecillitas ingenij, uèl percipiẽdi difficultas, vèl breuis aliquorum hominum vita, vèl ætatis infirmitas

 59

mitat, vel certe quod mundus sapientissimorum virorū uult steriles esse, nec ad tantam fælicitatem omnes peruenire concedat, ut omnibus, quod iocundissimū esset, & fælicissimum floreant, vnisaltem illi admoueant manus; qui pluribus admouere non possunt, quæ in profundissimis defixa radicibus ita adhærescat, ut nunquam ulla ui labefactari, nunquam dimoueri loco, nec erripi, nec surripi possit, queque neque incendio amittatur, nec tempestatum, nec temporum permutationem mutetur; robustum, validumq́ corpus, ciborum varietatem digerere, debile vero conquoquere non potest, capax intellectus multa percipiet, debilis non intelliget. Non omnes Aristoteles, Plato, Augustinus, Hieronymus esse possunt, non ad tantum scientiarum fastigium euehi, non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire. Sunt enim scientiæ quædam fabulosá arbor altissima, & latissima multos habens truncos, & ramos, qui alios trunculos, & ramulos ordinatim continent, omnes tegmine foliorum ornati, cuius radicees variæ sed vna mixte, & amaræ fructus vero dulcissimi, & iocundissimi, in nitidissimo, & viridissimo campo, ad quem viæ deserte, & inculte frondibus, spinis, ác virgultis intercluse, magnifice, & superbè collocata. Multi arbusta, & virgulta peruertebant, multi introgressi admirabilem arborem intentè contemplabantur; plurimi propter itineris difficultatem de via dextra ad sinixtram timidè declinabant, alij cum ascendere vellent, aliena ope indigebant; alij fructus deciderafaciebant, & alij eos occultè, & auide surripiebant, alij tot fructus manducauerunt, ut mortui in ea misere reperientur; alij in vno, alij in altero truncos alij in infimo, alij in medio, alij in supremo residebant: alij semen accipientes illud seruabant, terra vero tepefactum amplexu suo diffundebat

 & eli-

& eliciebat herbescentem ex eo viriditatem ; alij non solum ramos, sed etiàm radicum fibras euellere furiosè conabantur. Hanc arborem quæ semper floret, & nunquàm deflorescit; quæ semper viget, & nonquám consenescit, semper nouella, & non vetula, quæ semper viuit, & nunquàm moritur; campum qui semper frugifer, & fructuosus, nec vlla pars eius deserta, & inculta, sed semper omnium segetum feracissimus, & vberrimus, centuriones armis stipati, & vallati circunstabant, multiquè tyrones in istorum militia militabant, bellū à centurionibus commotum constantèr confirmabant, singuliquè proprium vexillum sequentes, ad suum ducem velocissimè conuolabant, in acie versabantur, cùm hostibus magno animi ardore confligebant. Duo duces inter cæteros acriori, & grauiori certamine inter se miserandum in modum decertabant; multi qui singulorum bellum non contemnebant, acceptas plagas anxie curabant sanandas, & inflammatos animos quasi concordia quadam placabant, & leniebant. Attamèn cùm aliqui arborem quasi puellam constuprare per luxuriam voluissent, tùnc omnes fœdere inito firmi, stabiles, & constantes mirabilitèr omnium generum, atquè ordinum ad illam defendendam, & inimicorum impetum coercendū, vnanimes conspirabant. Hæc est vniuersalis scientiæ arbor quæ alias scientias, & vnaquequè alias comprehendit; viæ sunt inculte, quoniàm àd scientias capessendas, multum labore oportet; ideò sudor, labor, vigilia, in harum atrio, ac vestibulo excubant, & cùm ferè alia, pecunia emantur has labore, & perseuerantia Deus vænales proposuit. Qui arbusta frangebant, hi sunt qui incipiunt studere; qui introgressi arborem respiciebāt sunt discipuli ij, qui cùm in Gymnasiis præceptores tantummodò audiant, nihil prætereà agunt, nulli rei

studentis, sed tanquam Epicurei summum bonum in volupta-tibus temere ponentes, in exculentis, & poculentis commessa-tionibus, ludu, & luxu tempus intemperanter terunt, & con-sumunt. Qui ad sinistram iter flectebat sunt, quos recta via deterruit, ad viam vitij parum considerate confugiunt, quæ primo ingressu amena, & facilis, repente vero fit præceps; sa-xis aspera, sentibus obducta, gurgitibus intercisa, torrẽtibus rabida, ut laborare, herere, labi cadere sit necesse, vbi deni-que latent omnia crassis occulta, & tenebris circunfusa. Qui ascendere cupiebant sunt, qui cum ingenuas disciplinas inge-nio suo capere non possint, præceptorum ope vtuntur. Qui fructus arripiebant, qui labore, & alienis fruuntur vigilijs. Mortui erant, qui præ nimia vigilãdi lucrubratione, vitam cum morte intempestiue commutauerunt; Qui in vno, vel altero trunco erant sunt varij virorum doctorum ordines. Qui semen seminabant sunt, qui attente præceptores audien-tes, domum profecti notatu digna scribunt, intellectarum le-ctionum sensum cum labore exprimentes, illumq́ memoriæ mandantes; disciplinarum fructus citò, & perfacile perci-piunt. Qui radicum fibras extirpare experiebantur insul-sissimi, & improbissimi homines, ex omnium scelerum collu-nione nati, non solum bipedum, sed etiam quadrupedum im-purissimi sunt; qui rudes omnium bonarum litterarum, & infantes in dicendo, & scribendo, ut maledici conuitiatores claris viris, & virtute præstantibus, quorum laus est in ex-celso, & illustri arboris loco sita obtrectant, & ore impuris-simo impie, peruerse, & nefarie maledicunt. Et quoniam isti proper inscitiam, & ingenij stuporem, ac tarditatem, & diuitiarum abundantiam, eorum præstantiam adæquare, suarum supplectilum sordes non cognoscentes, intra suas se

pelli-

pelliculas continere non possunt, aliene laudis obtrectatione sibi famam ridicule credunt comparare. Putant enim sordes vitæ posse eluere, & alios de dignitatis gradu deijcere, longe falluntur opiniones, non enim intemperantia vitæ, & intolerantia petulantia eiusmodi lues eluuntur, quoniam fama præstantissimorum virorum imminui, aut obscurari non potest. In hos hercle accomodari potest Lucretij illud, ò mentes hominum cecas? ò pectora ceca? cùm vituperatores ne dùm scientias, & peritos viros de facie agnoscant, in illas tùm celeberrimas, in hos tùm præstantissimos, oblatrare audent, perinde ac si culex Elephantem morderet, & formica Leonem tonderet. O stultitiam predicandam, ò scelus indignum, ò facinus animo diuertendum, ò cælum, ò terra, ò mari ò Neptune. Centuriones sunt preclari alicuius scientiæ auctores, & tyrones istorum pedissequc, qui non solum in eadem, verum etiam in diuersis, scientijs varij, atq; instabiles disciplinarumque interpretes dissimiles, magnam hominum cateruam secum trahentes, scientias, vera cùm falsis, certa cum incertis, promiscuè confundunt. Qui adeò vehementer inter se pugnabant, Medici, ac iuris periti, quorum controuersiæ, & causæ post iudices admissos, post litem contestatam, post constitutos acerrimos propugnatores, post multa in vtramq; partem dicta, post immensas auctoritates adductas, post testium examinationem, adhuc sub mercenario iudice dubitater pendent. Qui aduersus dilapidatores fædus inibant, sunt qui virtute sua dolosos, imperitos, & circunforaneos obtrectatores obterunt, perdunt, contundunt, quique decoris, & existimationis litterarum retinendæ cupidissimi, cognita nefariorum nebulonum inscitia, impudentia, infantia, & improbitate quibus credulam plebeculam pessime imperitissimi infatuant

tuant, corrumpunt, contaminat, non ferũt diutius apud quosdam homines debachari, & linguæ viperea procacitate, in omnes bonos, & doctos insulsare. Et profectò cùm mecum ipse istorum hominum amentiam, & imperitiam considero, animoq; intueor causas, quæ illos ità procaces in lacessẽdo, ità rabidos in maledicendo efficiunt vnam omissis cæteris præcipuam esse reperio; animi quidam liuor, & inuidia, qua isti ità laborant, ut præcilia eis disrumpantur, & ità discrucian tur, ut pænè toto animo atq; adeò corpore aliquando concidere videantur. Hæc est causa, quæ homines & cæcos, & præcipites, atq; huc, & illuc transuersos, & furentes agunt, & impellunt. Est hoc profectò vitium commune, àc peruagatum inuidia, quæ solum præstantia tangit, apud has pestes hominum aliena laude dolentium, qui cum sint omnis virtutis, & humanitatis expertes, àc litterarum indocti, nihilq; rectè, aut laudabiliter agere sciant, aut possint, anguntur intimis sensibus, si quem videant paulo altius euolare, àc eius industriam excellentem omniũ predicatione audiunt aliqua in recommendari. Hi cùm quadam barbara feritate, hostes accerrimi sunt præclarissimis scientijs, tùm veró bellũ quoddam horrificum, & nefandum omnibus peritis impiè indixerunt. Cognoscunt ipsi magno dedecore, & vituperatione se nulli bonæ neque honestæ rei esse natos, se omnino infæliciter in litteris versari inuitaqué vt aiunt Minerua, studiũ in ijs collocare; suam ipsi hebetudinem, atque stupiditatem ferre æquò animo nòn possunt. Vellent emergere ex cæno, in quò, ùt sues lutulenti volutantur, sed frustra miseri elaborant. Itaqué suum ipsi fatum lamentãtes, atq; aliorum virtuti inuidentes, scelere inflammati furunt apud sanos amentissimi homines, & quàsi inter sobrios bacchari vinolenti videntur,

gemitu,

gemitu, & lamentatione testantur grauissimos dolores quos ex aliorum, vel animæ vel fortunæ, ornamentis suscipiunt. Sudant, pallent, dentibus strident, atq; ardentibus oculis, & contorto pallio, ea intuentur, quæ pessimè oderunt, et quæ visa eis sanè acerbissimos pariunt dolores, ac tametsi velint insignem nequitiam frontis integumento cælare, non ità tamen sunt artificio simulatores eruditi, ut animi vitium nefarium occultare queant. Euomunt enim virus acerbitatis suæ eamq; passim iactant litteratorum simioli, ac turbines pacis atq; otij, tùm verbis insulsis, tum verò illitteratis litteris, & in concione imperitæ multitudinis, & apud etiam graues, & disertos viros, ùt nemo illorum fatuitatem, atq; inscitiam cùm singulari improbitate coniunctam non apertissimè cognoscat. In quo cùm multa sint indigna, & difficillima perpessu, tùm verò nihilominùs est ferendum, quàm ùt ij homines tamdiù nostra abutantur patientia, & facilitate, nosq; impunè eorum furor eludat, sed acriter tanquàm pro aris, & focis est pugnandum, eorumque effrenata audacia omnibus viribus, opibusquè est comprimenda, frangendus est spiritus ferox, nefarius conatus est coercendus, atq; hæc inanis doctrinæ persuasio à tabidis visceribus, atq; ex intimo pulmone istorum hominum impudentissimorum est reuellenda. Quòd quidē vt quamprimum fiat necesse est dentem Theoninum ad lacerandam famam præstantissimorum virorum, tàm promptum, & paratum, cùm ignitis forcipibus, & quātis maximis poterimus viribus labefactare, & conuellere, ità ùt illi omnino edentuli videantur, ab alijsq; secernantur, quia tunc nòn oportebit callidos istos, vafrosq; nebulones, fruges consumere natos, telluris inutile pondus, tergiuersari, àc suas inscitias apud imperitos homines occultare; detecta enim

igno-

ignorantia, & audacia, eis quodammodo costis tergora diripientur, visceraq; pecudum impurissimarum, nudabuntur, nec vllam afferent excusationem, sed omni sublata mora ab hac arbore proficiscentur fœlicissima, nec clariori luce perfruētur, sed tanquàm nocturnæ aliquæ aues infausti ominis, in sole perpetuò caligabunt. Neq; verò amplius nugæ insulsissimorum hominum audientur, quas in tonstrinis, in tarbenis cùm pharmacapolis, cùm opilionibus iactare consueuerunt. Quòd si iàm profligati suas infantias agnoscere noluerint, & per fas, & nefas in suis opinionibus permanere voluerint, tùnc dent amentiæ suæ pœnas, insigni enim turpitudine notati, sibilis clamoribus, àc deniquè fustibus, & lapidibus præcipites primoquoq; tempore eijcientur, exterminentur. Sed, Quid? istis sycophantis, carophantis, onagris, cinocephalis plura obijcere? Quid enim aduersus hanc arborem oblatrare possunt, quàm sapientissimus Salamon regnis, & sedibus præposuit, & diuitias præ hac nihil esse prudentissimè existimauit, nèc huic lapidem, pretiosum comparauit, quoniam omne aurum comparatione istius exigua arena, & tanquàm lutum in aspectu illius argentum nitidissimum. Cuius auri, & argenti acquisitione acquisitior melior, & ipsa sola cūctis opipus præstantior, & prætiosior, cùm omnia bona cùm hac tuta sint & etiàm quam celerrimè veniant. Hæc est illa arbor, in qua tanta eximia, & singularis pulchritudo refulget, & inter se coloris suauitate omnes partes cùm quodam lepore ità consentiunt, vt vlla species nè excogitari quidem possit ornatior, cùm omnes omnium rerum venustates, in hanc coniunctim confluxerint, imò nihil pulchri, nihil boni pratèr hanc inuenitur; nàm eorum quæ vulgo bona, atq; pulchra temerè dicuntur, cuiusmodi est sanitàs, forma, robur, diuitiæ,

nullum pulchrū, vel bonum, nisi in bonum virtutis inciderit. Separata enim a virtute, non veram, sed adumbratam quādam pulchritudinis & bonitatis similitudinem tantummodo retinent; sola litterarum pulchritudo hanc habuit sortem, vt maximè omnium perspicua esset, & amabilis. Si resp. gerenda est, si prælia committenda sunt, si castra mutanda, si machinæ erigendæ, si renouandi ageres, si propugnacula fabricāda, si saluber aer eligēdus, si acquæ an veneno sint infectę cognoscende, si militiæ cultus, si reuerentia legum, si finitimarum gētium amicitiæ sint seruādę, hæc arbor omnia admirabili docet doctrina. Huius si quis vtilitatē sequatur nihil fructuosius, siuè oblectationem nihil suauius, & iocundius, siuè splendorem, ac pulchritudinem nihil illustrius, aut ad struendam nominis immortalitatem firmius, aut stabilius reperitur. Hæc vitæ gubernatrix, virtutum omnium parēs, vitiorum expultrix, omnium rerum dux, princeps, & gubernatrix, corpus quasi vestem hominibus scientiarum addiscēdarum percupidis deponere cogit; exuitque inscitiæ indumentum, interitus vinculum, viuam mortem, sentiens cadauer, ductile sepulcrhum domesticum furem, mentem ad terrena fæcem diligentium eam deprimit, cœnoque illigare non patitur; sed veram intelligentiam cælitus haurit. Si beatè ac fœliciter viuere, vel in gaudio, vel in virtute, vel in prudentia, huic arbori accedendum, in qua dies ac noctes cùm oblectatione consumantur, quæ animum format, vitam disponit, actiones regit, agenda, & demittenda demōstrat, inter pericula fluctuantium dirigit cursum, sine hac profectò nemo securus erit. Non ità, reubarbarum flauam bilem, sena melanchoniam, Agaricum pituitam purgant, ùt minima istius arboris cortex debellantes, & inconstātes humores consumaris rime

me

me exacuat; additq; hominibus impetum, quo excitantur, addit iudicium, quo inuitet ad vtilia, addit delectum, quo potiora sequantur, addit prudentiam, & animi magnitudinem, cùm mansuetudine, cautioneq; coniunctam; non impiũ bellum parit in membris, non intemperiem, non flagitiosorũ, humorum crudelissimam, & lachrimandam agitationem, non miserrimas perturbationes, & teterrimos dolores, non cupiditatem, cùm cupiditate pugnantem, non cogitationis cùm cogitatione concursum, non veluti inconfinio cupientis, ac pænitentis asperitatem, àc turbulentiam cum delectatione commixtam, sed amica, & pacata sunt omnia. Hæc tandem eum in aliquo exoriri incipit, obscuratis cæteris rebus, sola splendidissimè apparet, cunctaque sua luce lustrat, & complet. Veruntamèn cur ego vlterius prosequor? si res excellentissimæ miro silentio sunt prætereundæ, admiratione, & stupore sunt conspiciendæ, nec vllius oratione augumentantur, sèd potiùs decrescùnt, & minima particula facillime Ciceronem defatigàret, longiores Iliade orationes essent conficiendæ, infinitis propemodum voluminibus esset agendum. Istius arboris cùm Serenissimus Princeps quosdam surculos accepisset, & in hac percelebri ciuitate seriſſet, perbreui temporis spatio ad tantam proceritatem peruenerunt, ùt Parmensis ciuitas, per se primò satis celebris, nunc ferè toti orbi terrarum celeberrima sit, & notissima. Non enim prudentissimum, & acutissimum Principem latebat, nihil remp. magis splendide, aut eius amplitudinem gloria, laude, & honoribus màgis amplificare posse, quam si in ea vigeant homines in omnium disciplinarum genere præclarissimi, artes liberales, virtus, doctrina, & studia omnium celebrãdarum artium, quæ iuuentuti afferunt sobrietatem, senibus solatium, pauperibus

diuitias, diuitibus ornamentum, remp. moderantur, & sustinent, lubricam iuuentutem cœrcent, pauperibus sunt prouiatico, senectutis incommoda honesto solatio mitigant. Hanc arborem sibi conseruit illud omnium virtutum presidium, litteratorum refugium, scientiarum ornamentum, priscæ maiestatis absolutissimum exemplar, Illustrissimum Hieronymum Bernerium dico S. R.E. Cardinalem Amplissimum; alterum nostræ ætatis magnificentissimum, & liberalissimũ Mœcenatem. Et vos ò Iuuenes, qui a pueritia animos vestros ad studia nobilissimarum scientiarum appulistis, nihilq; vehementius expectatis, quàm excellere aliquàndo ijs artibus, quibus res secundæ ornantur, aduersæ adiuuantur; & ut has preclaras has vestras cogitationes, & consilia ad exitum perduceretis, ad florentissimũ Parmense Gymnasium, vos contulistis, & iàm optimos, & eruditissimos viros delegistis, qui animos vestros preclarissimis disciplinis, & moribus extolant, & in omni recta intelligendi ratione instituãt, nòn satis est vos hæc omnia cogitasse, & incæpisse; sed perseuerantiã, assiduitatem, constantiam retinere oportet; quandoquidém Lot vxor cùm postèa se respexisset, in salis statuam versa est. Quamobrèm nullius rei vnquàm aut commodum, aut otium vos abstrahat, aut voluptas auocet, aùt piger somnus retardet; hæ enim res indignæ sunt ijs, qui se bonarum artium studijs dediderunt, tùm quia non iacet in molli lecto sapientia, tùm quia non decet sapientiæ amatores meliorem vitæ partem, quæ in vigilia consistit, mortis imagine commutare, & vitam, quæ hominibus tam breuis contegit, breuiorem reddere. Et antiquissimi illi sapientes, qui cupidam iuuentutem magna cùm mercede prestantissimis doctrinis erudiebãt, qui lætissimo, & honorificentissimo applau-

su,

ſu, magna cum omnium Principum, ac Regum admiratione, in publicis Gymnaſijs garriebant, qui officinas ſummæ ſapientiæ inſtruebant, quibus omnis poſteritas, non ſolum obſtupeſcit, ſed quorum in omnibus ſæculis non immemor erit; non blanda voluptate non otio effeminato luxu, & inertia, vel deſidia brauium litterarum attigerunt, ſed multas noctes ſerenas vigilauerunt, multas prouincias peragrarunt, peregreq; vt eruditos homines adinuenirent ſunt profecti, nulli labori, tempori, ſumptui pepercerunt, ſed omnẽ vitæ curſum in labore corporum, & animi contemplatione confecerunt; Quæ omnia certiſsima, & firmiſsima argumenta ſunt ad probandum, vos plus olei quam vini inſumere debere. Hæc vobis dicat Plato, qui Pithagoricæ diſciplinæ tãtum tribuit, ut Plilo æ Crotoniatæ magno prætio libros emerit, qui admirandi Nili fluminis inexplicabiles ripas, vaſtiſsimoſq; campos, effuſam barbariem, & flexuoſos foſſarum, ambitus Aegyptiorum diſcipulus luſtrabant: vobis dicat Carneades, qui philoſophiæ ſtudio ità flagrauit, ùt cùm cibi capiendi cauſa recubuiſſet, cogitationibus totus inherens, manũ àd mensam porrigere obliuiſceretur. Dicat C. Plinius, qui quamquàm in armis & negotijs obeundis totam tranſegerit vitam, tamẽ litteris tantùm operam dabat, ùt in menſa legentem quoquè audiebat, aùt notabat cùm aliud agere eum oportebat, qui lectica quoquè vehebatur, ùt in via vel legere, vel ſcribere poſſet, & intelligendi tanto ſtudio detinebatur, ùt dùm nimis progreditur, incendij quo Veſuuius deflagrabat cauſas inſpecturus, fumi magnitudine præfocatus interierit. Dicat Ariſtoteles, qui teſte Laertio in eius vita, cùm ſe adquieſcendũ componeret, ſolituſerat æneam ſpheram tenere in manu pelui ſubiectæ, eo conſilio ùt cùm dormientis excuſſum pondus, in

ſubdi-

ſubditum uas æneum incidiſſet, ſono illius excitatus ſtudiū alacriter repeteret. Dicat S. Thomas, cuius lectio diligens, & penſiculata adeò fuit, ùt nec in proximo ſtante viderint oculi, nec interpellantium audierint aures. Dicant tot, tantiq́ alij preclariſsimi viri, & etiam ſuperbiſsimorum exercituū Imperatores qui in bello vnquàm ſtudium, quod litteris impendebant intermiſerunt. Vos ò iuuenes, ùt addiſcatis non eſt opus, ùt tot annos in publicis ſcholis ſcientiarum comparandarum cauſa viuatis. Nàm Ariſtoteles vniuerſam philoſophiam adeò abundantèr perfecit; Theologiam Angelicus Doctor grauiſsimè, & copioſiſsimè abſoluit. Iuſtinianus ſanctiſsimas leges, Clariſsimorum iuriſperitorum ope breuitèr reſtrinxit, digeſsit, àc perpoliuit. Medicinam Hippocrates, Gal. & Auicenna adeò doctè, atquè peritè locupletarunt, ſummiquè viri reconditum, àc complicatum ſenſum, interpretando apertiſsimè & planiſsimè dilatarunt, euoluerunt, & extricauerunt, ùt paucorum annorum curriculo, in vnaquaquè ſcientia mediocritèr excellere poſsitis. Nequè ùt egregios doctores, qui vos doctrinas doceant quæratis, ad longinguas oras, & exteras nationes periculoſum itèr eſt conferendum, ſunt enim in hoc excellentiſſimo Gymnaſio viri, in omnium diſciplinarum genere eruditiſsimi, qui rerum humanarum, naturalium, ciuilium, & diuinarum, naturā acutiſsimè nòſcunt, & omnem benèuiuendi rationem prudentèr tenent, & perſequuntur. Quamobrem Sereniſsimo Principi, eiſquè quos Gymnaſii reformatores appellamus gratiæ quàm maximè ſunt habendæ, qui in doctiſsimis doctoribus quærendis mentes omnes, & cogitationes duxerunt ſuas, & preclarè id quidèm. Non enim ignorabant, hoc eſſe tùm præceptum ſapientiſsimorum virorum, tùm etiàm inſtitutum

cla-

clarissimarum ciuitatum, & celeberrimorum Gymnasiorũ, in illdelegendis preceptoribus, qui erudiende iuuentuti preficiantur, magna diligentia, prudentiaq; adhiberetur. In quoquidem præclaro, & laudabili more retinendo, & colendo valere est Lacedemoniorum laudanda prudentia, qui de adolescentum disciplina vehementer laborabant duoq; potissimum attendebant, delectum præceptoris, & præmij promerito eius constitutionem, nàm fieri potest, ùt ad quorundam commentationem, aùt crebris pollicitationibus alicuius profitentis, se docere quæcumque omnes doctores docere possint, eligantur indocti interdùm moribus haùd satis probabiles, ab ijs qui non spectant quomodò iuuentuti consulant, accuratius perpendentes, cui committant canem, vel equũ, quàm cui periculosam, àc precipitem iuuentutem diligenter credant. Quàre ego nòn possum non summopère prudentissimi Principis, & diligentissimorum reformatorum singularem diligentiam commendare, qui cùm vicinas, & lõginquas ciuitates vsquequàque circunspexissent, omnibusq; vestigijs sedulò indagassent sicubi insignem philosophum, Medicum, iurisperitum, vel Theologum inuenirent, eorum, qui claré & laudabiliter in his muneribus versarentur paucitatem deprehẽdissent, tandem celebritate famæ nonnullos hùc magna mercede conduxerunt, vt auida, & appetens iuuentus, in litterarum studijs adolesceret, & sub his prestantissimis doctoribus colophonum addere posset, Eia ergo in hac vestra eflorescente ætate, ùt idoneo tempore in scientias incumbite, hoc si àmiseritis nullum vnquàm estis repetituri dates pemgenerosæ indolis; oscitantem, & dormientem sapientiam excitate. Insideat in mentibus vestris alacritas studendi, quæ noctes, & dies animam gloriæ stimulis acriter conciter. Agricolas

las imitemini, qui anteaquàm grauidum semen humi se[illegible] liant, aratrum circunducunt, & eius vomere terram perstringunt, lapides, & impedimenta vtiquè tollunt, vos ingenium consuetudine, exercitationeq; intelligendi aeuite, quæ obstát, quæ intellectum obtundunt, vt conspurcatissimã luxuriam, languidum, & effeminatum otium, omnéq; vitium nefariũ prorsùs, funditusq́ auferte. Nàm preterquamquòd nihil est tam mortiferum ingenijs quam scelerata libido, sitq; immensa vorago, & gurges omnium vitiorum, quæ ùt voracissima Caribdis tot res ingurgitat, & tám citò, rabideque absorbeat, & delicato cibo, & exquisito potu ventrem rapacissimum furentèr obruat, prudentiam impedit, menti tenebras offundit, iudicium labefactat, suis blanditijs àc lenocinijs, quasi infamis meretricula quædam mentes hominum ad se allicit, atq; indissolubili nodo illaqueat; intellectum hebetat, memoriam deperdit, ignorantiam inducit, vires eneruat, hominem bestiam reddit, animam offendit, corpus ùt fœdissimã latrinam conspurcat, omnemq; hominis naturam in execrandorum vitiorum cœno miserè prosternit; à quo non quis facile pedem efferre potest; boues enim in profundum limum delapsi, quanta maiori vi enituntur ùt euadant, tanto altius in illum demerguntur. Itaquè si ad iuuenilem libidinem copia voluptatis ùt ignis oleo gliscet, si vos ventri dediti per inertiã, & lasciuiam vitam mollitèr, delicateq́ egeretis, pudorem audactèr neglixeritis, asinos, porcos, lupos subire decet; cum in loco illo Circes, animæ vestræ ob immoderatã cõcupiscẽtiã venenosis poculis perniciosè captæ fuerint, quẽ locum tanquàm sæuissimam pestem, & tanquàm ventris, & gutturis illicitum cibum fugere maximoperè debetis, si enim generosæ indoli vestræ innasci turpitèr permisertis, & rectã ratione, precla-

roque

raq; studio, quod iam natum celeriter non reuulseritis, ac totum habitum immutaueritis quo decens aptaq; euadat, nihil est quod tetris, & immanibus belluis mitiores fore speretis. Concupiscentiæ ergo frenum imponite, illis dulcibus potionibus non permulcti, nec irretiti omnia blandimenta, quæ occultam trahunt voluptatem, libenter recusate, sed suis illecebris vos virtus humaniter atq; amabiliter trahat aduerum, & sempiternum decus. Dulces potiones corpus obstruendo causæ ægritudinis sunt, amaræ ad perfectam sanitatem valetudinarios homines reducunt. Otium à vobis quam longissime absit, ut enim innumerabilia, quæ dicere possemus, missa faciamus; solùm vobis ante oculos ponite, intactam terrā sterilescere, immobilem aerem corrumpi, conclusam aquā manescere, otiosum ignem in cinerem verti, ferrum rubigine lædi, omnia otiosa languere, naturales illos igniculos quibus homines ad sciendum trahuntur tepidiores fieri, si cæli ipsi immobiliter sisterent, rerum generationes ad nihilum reducerentur, ingenium etiam labore non excultum misere euanescit, & quamuis vbere sit solio, tamen si cessat sentibus, fructicibusq; praue obsitus squalet, sicut enim torpedo maritimus piscis, quando se in retibus inuoluit, ità nudorum piscatorum frigidas, algentesquè manus, & humidos lacertos, suo afficit stupore, vt stupore affecti, moueri non possint, eiusdem qualitatis erit otium, cùm in corpora vestra altiùs deprehenderit. tandem omnis cessatio ab agendo mala, turpis, irrationalisquè, nisi quæ reparandarum virium gratia fiunt, ùt si à laboribus aliquandiu cessetur ad illos posteà redditus recentiori cùm vigore, & robore fiat. Si etiam aliquod lolium in genio vestro serpat, qui contactu nocere possit scindite, ùt in toti, in corpus v elociter non transiliat, est.n.omne vitium abij-

uendum, & ferro, & igne, & omnium disciplinam machinis radicitùs euellendum; Vt enim herba illa quàm Cascutam herbarij appellant, quamquè in herbescentibus pratis istius circumiacentis agri, quasi supèr alias supernatantem intuèri possitis, ita eas amplectitur, ita pessima afficit qualitate, ùt si cum alijs herbis nascatur, eas crescere non sinat; si iam proceres facte sint atrocissimè iugelet, optimumq; earùm alimentalem humorem, in suam substantiam conuertat. Sic Vitium si cum scientia oriatur homines discendo proficere nec subtiliter intelligere possunt, si acquisite doctrinæ adueniat ità eam lacerat, ùt Virtus in vitium pœnitùs mùtetur. Nè quis vestrum dicere audeat, mihi non est datum comparare scientiam, insulsissimæ nugæ erunt, nulli est præclusa, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, seruos, Reges, Principes, & exules, in Vestra potestate, non preclarissima, & excellentissima laude digna existimaretur, si Vèl natura Vèl diuina sorte contigeret. Nihil difficile Volenti, iuuenes estis, virides Virgas homines nullo negotio flectunt, quocùnquè volueritis ingenium Vestrum contorseritis. Et ùt in optimam partem illud torqueatis, & aliquandò cùm d. Paulo, bonum certamen certaui, fidem seruaui, cursum consumaui apertè & verè dicatis, prius ab omni scelerū labe expiati, in hoc sanctissimo, & religiosissimo templo, cuius ab omnibus religio propagata est, quodq; magna populi frequentia sanctissimè colitur; Deiparæ Virginis Mariæ, quæ Vt publica monumenta tradunt, ab hora nona diei Vsquè ad solis occasum in lectionibus Veteris testamentise continuò exercebat, etiàm atq; etiàm auxilium implorate, hæc Vnigenitum filiū suum patris sapientiam, enixè rogabit, filius à Patre maximus præcibus contendet, quicquid

Velit

velit filius, velit etiàm Pater filio nihil pater negabit, vobis peroptata bona liberalissimè largietùr, atq; condonabit, & mentem fortasse concreta caligine offusam splendidissimè illustrabit, quæ falsis ampliùs nòn decipietur imaginibus, eaq; a sensuum colluuionè ad mundi spectaculum, & ad rerum naturam perlustrandam egredietur, & vitiorum soluta vinculis cœlestia, humana, atq; diuina meditabitur, & ità scientias hic addiscetis, certissimam, & perfectissimam omnium rerum cognitionem vobis postea tradet in cœlis, vbi æuo sempiterno perfruemini.

Dixi.

